

Pp. 55, 56 misplaced after 64.

**CÆSARIII**

**HEISTERBACENSIS MONACHI**

**ORDINIS CISTERCIENSIS**

**DIALOGUS MIRACULORUM.**

**TEXTUM**

**AD QUATUOR CODICUM MANUSCRIPTORUM  
EDITIONISQUE PRINCIPIS FIDEM**

**ACCURATE RECOGNOVIT**

**JOSEPHUS STRANGE.**

**VOLUMEN PRIMUM.**

**ACCEDUNT SPECIMINA CODICUM, IN TABULA LITHOGR.**

**COLONIAE, BONNAE ET BRUXELLIS,**

**SUMPTIBUS J. M. HEBERLE (H. LEMPertz & COMP.).**

**MDCCCL.**

**TYPIS J. S. STEVEN.**

bonnensis. Venientes ad civitatem magnam, quae Biders <sup>1)</sup> vocatur, in qua plus quam centum millia hominum fuisse <sup>2)</sup> dicebantur, obsederunt illam. In quorum aspectu <sup>3)</sup> haeretici super volumen sacri Evangelii mingentes, de muro illud contra Christianos proiecerunt, et sagittis post illud missis clamaverunt: Ecce lex vestra, miseri. Christus vero Evangelii sator iniuriam sibi illatam non reliquit inultam. Nam quidam satellites zelo fidei accensi, leonibus similes, exemplo illorum, de quibus legitur in libro Machabaeorum <sup>4)</sup>, scalis apposis, muros intrepide ascenderunt; haeticisque divinitus territis et declinantibus, sequentibus portas aperientes, civitatem obtinuerunt. Cognoscentes ex confessionibus illorum <sup>5)</sup> catholicos cum haeticis esse permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus, domine? Non possumus discernere inter bonos et malos. Timens tam Abbas quam reliqui, ne tantum timore mortis se catholicos simularent, et post ipsorum <sup>6)</sup> abcessum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixisse: Caedite eos. Novit enim Dominus qui sunt eius <sup>7)</sup>. Sicque innumerabiles occisi sunt in civitate illa. Aliam itidem civitatem magnam, a re Pulchramvallem vocatam, quae sita est iuxta Tholosam, virtute divina obtinuerunt. In qua populo examinato, cum omnes promitterent se velle redire ad fidem, quadringenti quinquaginta in sua pertinacia indurati a diabolo permanserunt, ex quibus quadringenti combusti sunt in igne <sup>8)</sup>, ceteri patibulis appensi. Idem actum est in ceteris civitatibus atque castellis, miseris se ultro morti <sup>9)</sup> ingerentibus. Tholosani vero artati, omnem promiserunt satisfactionem, sed ut postea patuit, in dolo. Nam perfidus Comes sancti Aegidii, princeps et caput omnium haeticorum, omnibus sibi in Concilio <sup>10)</sup> Lateranensi abiudicatis, feodis videlicet et allodiis, civitatibus et castris, et ex maxima parte eisdem a Comite Simone de Fortimonte, viro catholico, iure belli occupatis, in Tholosam se transtulit, de qua usque hodie fideles vexare et impugnare non cessat. Et sicut hoc anno dominus Conradus Episcopus Portuensis et Cardinalis, contra Albienses missus legatus, scripsit Capitulo Cisterciensi, quidam ex potentibus Tholosanae civitatis quiddam

1) Biterrae, hodie Beziers. — 2) C esse. — 3) C conspectu. — 4) Machab. II, 11, 11. — 5) BC eorum. — 6) BP illorum, C eorum. — 7) Tim. II, 2, 19. — 8) BC igne combusti sunt, omisso in. — 9) ADP mortibus. — 10) BD consilio.